

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5031

Auteur(s) : Eugène III [pape]

Bénéficiaire(s) : Coutances (chapitre cathédral)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1146, 26 février

Lieu d'émission : Rome, Trastevere

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Eugène [III], à la demande d'Algere, évêque de Coutances, prend l'église Notre-Dame de Coutances sous sa protection et confirme les biens et les droits de ladite église.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 40, p. 107-109.
- b. Jacqueline Bernard, *Le chapitre de Coutances en 1146*, *Revue de la Manche* n°6, 1964, p. 1207.
- c. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 348, p.508-511.

Texte établi d'après a

Eugenius episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filiis Constantiensis ecclesie canonicis tam presentibus quam futuris canonicè substituendis in perpetuum. Equitatis et iusticie ratio persuadet nos ecclesiis perpetuam rerum suarum firmitatem et uigoris inconcussi munimenta seruare uel conferre. Non enim decet clericos in sortem domini euocatos peruersis malorum hominum molestiis agitari nec temerariis quorumlibet uexationibus fatigari. Eapropter, dilecti in domino filii, uenerabilis fratris nostri Algari Constantiensis episcopi precibus inclinati uestris iustis postulationibus clementer annuimus et pefatam beate Dei genitricis semperque uirginis Marie ecclesiam, in qua diuino mancipati estis obsequio, sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti priuilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quecumque bona in presentiarum iuste et canonicè possidetis aut in futurum concessione pontificum, liberalitate regum, largitione principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis prestante domino poteritis adipisci, firma uobis uestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis : ecclesiam sancti Petri in ciuitate Constantiensi cum oblationibus, decimis omnibus eiusdem ciuitatis et aliis ad eandem ecclesiam pertinentibus, ecclesiam sancti Laudi super Senam fluuium cum omnibus pertinentiis suis, quicquid iuris habetur in ecclesia, terra et decimis de Mulleuilla, ecclesiam Vreuille et ipsam uillam cum adiacentiis suis, tres prebendas, quas habetis in Trailiaco cum terris et molendino uno et aliis, que ibidem uestri iuris sunt, prebendam de Blandeuilla cum ecclesia, terra, cappella de Goudeuilla et decimis ad eandem prebendam pertinentibus, in Manselaria tres prebendas cum terris, ecclesia eiusdem loci et decimis ad eam pertinentibus, prebendam sancti Sansonis cum ecclesia eiusdem loci, decimis, terra et molendino uno ad eam pertinentibus, prebendam, quam constituit Nigellus de Muncuilla, cum

decima molendinorum sancti Saluatoris, terris et aliis pertinentiis suis, in uilla, que dicitur Quiebut, tres prebendas cum ecclesia, decimis, terris, molendinis ad eas pertinentibus, ad communiam uestram in Anglia uillam, que dicitur Wiceburna, cum ecclesia et decimis eiusdem loci, tertiam partem denariorum, qui offeruntur in maiori altari Constantiensis ecclesie tam in penthecosten quam per totum annum, cum aliis oblationibus, quas hactenus rationabiliter habuistis, quicquid iuris habetis in altari beati Nicholai Constantiensis ecclesie et in ecclesia de Agon tam in decimis quam in aliis pertinentiis, cappellam comitis in Turre, decimam molendinorum de Say, in piscaria episcopi uestri et comitis sui in Sena fluuio totam decimam salmonum, terram, quam Radulfus filius Herberti apud sanctum Flocellum uobis dedit, et domos burgensium, quas habetis in Marcilleyo et in Frigido Vico, domum eciam Roberti comitis et domum Ailleharht ita quietas, sicut hactenus rationabiliter extiterunt, terras, quas habetis in Bricheuilla et in Bleinuilla. Obeunte uero episcopo uestro uel suorum quolibet successorum nullus ibi qualibet surreptionis astucia seu uiolencia preponatur, nisi quem canonici communi consensu uel canonicorum pars consilii sanioris secundum Dei timorem et statuta sedis apostolice prouiderint eligendum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum locum temere perturbare aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet uexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salua sedis apostolice auctoritate et diocesanorum episcoporum canonica iusticia et reuerentia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona huius nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit, secundo tertioque commonita, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et domini nostri redemptoris Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Eugenius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Conradus Sabinensis episcopus ss.

† Ego Albericus Hostiensis episcopus ss.

† Ego Ysmarus episcopus Tusculanus ss.

† Ego Gregorius presb. card. tit. sancti Calixti ss.

† Ego Nicholaus presb. card. tit. sancti Ciriaci ss.

† Ego Bernardus presb. card. tit. sancti Clementis ss.

† Ego Odo diac. card. sancti Georgii ad uelum aureum ss.

† Ego Guido diac. card. sanctorum Cosme et Damiani ss.

† Ego Gregorius diac. card. sancti Angeli ss.

† Ego Berardus diac. card. sancte Romane ecclesie ss.

Dat. trans Tiberim per manum Roberti sancte Romane ecclesie presbiteri cardinalis et cancellarii IIII° kal. marcii, indictione octaua, incarnationis dominice anno M°.C°.XL. quinto, pontificatus uero domni Eugenii pape III anno secundo.